

1768, 2^a

16

3, 149, 126.

126

Alb. Phil. Frickii
DISQVISITIO
DE
MVNERIBVS
OB DIEM NATALEM SERVATORIS
DARI SOLITIS
IPSIIS SOLEMNIBVS
CHRISTO NATO SACRIS
ANN° CICICLXVIII
P. P.

HELMSTADI

EX TYPOGRAPHEQ ACADEMICO VIDVAE
SCHNORRIAE

ii

ACADEMIAE IULIAE CAROLINAE
PRO-RECTOR
ALBERTVS PHILIPPVS FRICKIVS
CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D

§. I.

Illuxit, illuxit denuo feliciter, omnium plausu iubilisque excipiendus aeterni Sospiratoris Christi natilis dies, quo, ex infausis tyranni faucibus ad suauissimam coelitum consuetudinem, e tenebris in lucem, e servitute in libertatem, e tristi mortis vinculo in vitam restituti sumus. Tanta fane est huius theophaniae sanctitas, ut memoriam eius nullo die omittere oporteat, tanta vero proh dolor et nostra imbecillitas, ut anniversariis solennibus tepor noster veniat suscitandus. Quod itaque numquam non deuota mente recolunt perfectiores, his proximis diebus nos omnes precibus hymnisque venerabimur sacramentum salutis nostrae ab initio statim promissum, in fine fideliter praestitum, sine fine efficaciter permanfurum. Optimus enim maximusque Deus, quum vidisset, fraude stygii latronis genus humanum in exitialem ruinam demersum, adfuit prostratis, ac inter ipsa mundi peccatique initia mortalibus erigen-

A 2

dis

dis purgandisque salutare prouidit remedium. Exultabat satanas, eximiam Dei creaturam a semet supplantatam, spoliatam diuino decore, aeterni exilii mortisque a Deo damnatam. Defectio nostra nos penitus excludebat diuini numinis societate, extores facti eramus regno, cuius tamen adipiscendi causa fueramus conditi. Nec quisquam humani generis deprecator, nec pacis interpres esse poterat, nedum valebat impunitatem nobis mereri. Quare, ut immota tamen illa de nobis feruandis voluntas diuina constaret, vngenitum Dei filium, Deum de Deo, in hancce terram de coelo descendere, ac in virginis vtero tanquam in thalamo humanam carnem sibi desponsare oportuit. Videlicet, ut ne periremus, filius Dei id, quod erat, permanxit, et, quod non erat, assumxit, suscepitque quod nostrum est, ut redderet, quod haberet ipse. Ergo nos in mortem demersos, ac diris omnibus deuotos erigat virtus ac propinquitas mediatoris nostri, qui, etiam si esset magnus ille Deus, dominus gloriae, factus tamen est caro de carne nostra, os ex ossibus nostris. O sancta agnatio! o exoptata fraternalis! o dies ter quaterque felices praedicandos, quies is, qui sedebat in throno patris coelestis, se virginis vtero claudi, et, qui ferebatur Super pennas ventorum, dulcibus matris Mariae brachiis amplecti passus est. Grates sint vobis, o patres veteris ecclesiae! et vestra ossa ea propter cubent molliter, quod, ob tot tantaque nativitate Christi in nos collata beneficia, huius natalis diei anniuersariam volueritis esse memoriam,

— — — *vt pigra diurnis
Ingenia obsequiis, saltim discriminé facto,
Post intervalum reducens solemnia voto
Santa libenter agant.*

Ac

v

Ac quam optandum foret, ut, qui, crescente hominum infirmitate, se sicut in alios, ita et in hos praeprimis dies festos insinuarunt, profani ac superstitionis ritus tam altas radices non egissent. Fallor vero, aut inter eiusdem generis ritus referri etiam poterit consuetudo ista inueterata munera propter natalem diem nostri Seruatoris dandi. Quumi enim videas, talia *munuscula* et ad fallendos pueros puerulasque adhiberi, et ipsos adultos vel imprudentes constrictos teneri: dici vix potest, quantum, illorum ope, promoueatur supersticio, ianuaque aperiatur profanationi diuini numinis. Et ni scirem, quæstiones circa huiusmodi generis *munuscula* obmotos saepius exercuisse ICTorum ingenia: religioni mihi met duxisse, de iis plura proferre, ea praeprimis periodo temporis, qua, ciues academicos publice alloqui, decet, eosdemque cohortari ad tot tantarumque rerum, quas natali Statoris nostrae salutis debemus, sancta et anniuersaria festiuitate recolendam memoriam. Igitur prolusionem hancce, quæ sifit cogitationes de muneribus ob diem natalem Christi dari solitis, lectori beneuolo non iniucundam fore, credidi propretra, quod me ad meletemata haecce edenda inuitauerint

— — *vos dulces ante omnia misere
Quarum sacra fero.*

§. II.

Si, qua primum eiusdem generis *munuscula* christiani dare solebant, periodum temporis scire aues: fatendum tibi erit, horum *munerum* et fluiorum plures diuersasque regiones permeantium simillimam esse rationem. Cursum nempe cernere cuius datum, fontes vero, e quibus deriuantur, curatius signare non possumus. Equidem

dem celeberrimus SEBASTIANVS MITTERNACHT a) docere annis est, christianos in dandis huinsue generis munusculis imitatos fuisse iudeos, quos quippe solitos fuisse, constaret, tempore scenopragiae in scabolis multos fructus, ut poma, nuces, pyros, dedisse pueris, ut et his esset laetitiae argumentum. At necesse non vult vir doctus, cui haec sententia placet, iudeorum antistites, quum sentirent, aetum fore de legis mosaicae dignitate, de ipsorum auctoritate, de suis emolumentis, si hebraeorum populus in Christi fidem transiret, ciuitati christianae in dies crescenti magno animi ardore se obiecisse, ipsos Christi apostolos, eorumque discipulos, minis, carcere, flagellis, capitalibus suppliciis affecisse, eaque propter iudeos odio fuisse christianis? Nouimus vero, qui nos ipsos et naturam humanam nouimus, numquam adduci homines, ut ad exemplum eorum se componant, aut adsciscantur ritus, a quibus se iniuriis adfici dolent. Non ergo credendum, christianos a iudeis, gente sibi tam inimica, adoprasse ritus ecclesiasticos, multo minus hosce imitatos fuisse in dandis iumentuti munusculis. Nec firmiori, sed eodem ruinoso fundamento innititur sententia CHRIST. SPECHTII b) adfirmantis, tantum abfuisse, ut christiani, quin vidissent, plerasque gentes, romanos impromis, dorum, imperatorum, regum, patronorum dies natales babuissent, iisque, quorum natalitia celebrabantur, dona obtulisse, ac sic diei natalis celebrationem instar cultus ac veneracionis fuisse habitam, gentilibus in talibus caerimoniis obseruandis cedere voluerint, ut potius in festo nativitatis

a) In progr. peculiari, eius meminit IOH. GOTTL. HEINEC-CIVS in vermischten Anmerk. und rechtlichen Gutachten, p. 100.

b) In diff. de munericb., quae propter diem nat. Seruatoris nostri dari solent, §. 3. sq.

tis Seruatoris beneficentiae ac liberalitatis documenta edididerint egenis subuenientes opibus. Speciosa haec esse, fateor, licet, si, quod sentio, dicendum, inde natales munerum nostrorum deriuare nullus auferim. Ut enim non dicam, eos, quorum natalis erat, non modo munera accepisse, sed et ipsos et aliis deditissimumuscula c). Id vero attulisse, e re erit. Nempe non est credibile, quod Imperatores Romani aegre non modo ferentes, si ipsorum natalis non celebraretur, sed et in eos, qui hocce officium neglexerunt, grauiter animaduerentes d) id instar cultus ac venerationis habuerint, si in ipsorum natalitiis subditi liberis suis deditissimum dona, iisdemque persuasissent, id tendere in honorem imperatoris. Et quem quaeso fugit, munera, quae in natalitiis Imperatorum subditi erogarunt, reponi debuisse in aerario publico, ac inter maxima onera fuisse relata? Quae si ponderes, tecumque cogites, munuscula nostra dari liberis ac domestis gaudii ob beneficia natiuitate Christi in nos collata excitandi ergo: sane profiteberis, illa munera in natalitiis Imperatorum dari solita esse plane diuersa a munusculis, de quibus loquimur, et concidere prorsus coniecturas SPECCHII ab illis natales nostrorum munerum deruantis.

§. III.

At tu forsitan, qui haec dubia sententiis virorum inclitorum obiecta legis, scire aues, ecquae mihi tandem esset opinio de originibus munerum, de quibus iam sermo.

Acci-

c) Docent hoc antiquae inscriptiones obuiae in IANI GRUTERI Operc. Inscriptionum, quorum una legitur, p. 414. n. 2., altera vero deprehenditur. p. 51. n. 1.

d) Enodas praeter SVTONII vit. Caligulae Cap. XXVI. CAR. FRIDER. SCHUBERTI Comm. de Ritib. Roman. celebrandi dies natal. §. 38.

Accipe eam, praemissa tamen prius meditatione brevi, ea-
demque hic seiu necessaria de tempore, quo primum
celebrari coepit festum nativitatis Christi. Si, quas ho-
mini praeter modum feuero, et omnem tam animi quam
corporis culturam contemnenti, debemus, constitutiones
apostolicae non essent fidei sublestae: diceremus, et vel
ipso apostolos esse huius festi auctores. Ita enim mendax
illarum conditor e) ait, τὰς ἡμέρας τῶν ἑορτῶν φυλάσσε-
τε, οὐδὲ φολ., καὶ περιπτύγε τὴν γενέθλιον, ἥτις ἡμέρα ἐπιτελεί-
σθω εἰκάδι πέμπτη τοῦ ἔννατος μηνὸς, dies festos obseruate,
fratres, ac in primis DIEM NATALEM, qui a vobis cele-
bratur vigesimo quinto noni mensis. At quum dubio care-
at, hæc constitutiones nullius esse auctoritatis f): fal-
lor, aut fatendum erit, natales huius festi apostolis ad-
scribi non posse, et genuinam illius, ut plurim aliorum
rerum, originem incertam esse ac sere incognitam g). Nec

e) L. V. Cap. III. Per mensem VIII. autem, obseruant SAC. V.
TILL in Com. de anno, mente et die nati Christi Cap. II. §. II.
p. 19. edit. Walch., intelligendum esse mensem decem-
brem.

f) Vid. praeter I. G. PERTSCHII Hist. Eccl. Sec. I. Cap. XXIII.
§. 19. fgg. CAR. FRID. PEZOLDI diss. duae de Constat. A-
post. Lip. 1698. habita. Caeterum varias de Constat. Apost.
et Can. Apost. eruditorum sententias congeßerunt THOM.
ITTIGIVS in disp. de Pat. Apost., quam in limine Bibl.
Patr. Apost. collocauit, et IOH. FRANC. BUDDAEVS Ifag.
in Theol. P. II. Cap. V. p. 742. sq.

g) Vid. praeter IOH. NIC. FROBESII pr. de relig. mathemat.
circa nat. Christi Seruator., Helmst. 1747. IOH. FRID.
MEYERI diss. de eo, quod quilibet anni mensis gloriam nati-
seruatoris ambitiose sibi afferat Gryphisw. 1701, e qua indicem
plerarumque sententiarum de anno Christi natali dedit IO.
ALB. FABRICIVS Bibliograph. Antiquar. Cap. VII. §. IX.
p. 187. Hic e recentioribus egregiorum hominum de hoc
argu-

Nec mirum id tibi videri poterit, si modo cogites, nascientis ecclesiae christianaे patres, maximo pietatis mysterio vnice intentos, operosas temporum computationes neglexisse, nec ab initio numerasse a Christi natali die, nec eram christianam in suis scriptis publicisque monumentis usurpasse, sed eodem potius usus fuisse eris tum vulgo receptis Romanorum, Hispanorum, Syro-Graecorum h). Quicquid interim sit, id saltim verum est, ecclesiam veterem in diebus festis constituendis nullam temporis rationem habuisse i), sed iis perinde fuisse, quo die in ecclesia agerentur. Saeculo demum quarto tradi coepit in ecclesia occidentali, diem VIII kal. Ian. fuisse natalem Christi k). Ne vero haec traditio destituta videatur auctoritate, illlico illius patres excogitarunt rationes, quibus eandem munirent l). At, quae ad auctoritatem huius traditionis proferri solent, rationibus non adducor, qui credam, Christum XXV decembris die fuisse in lucem editum k). Certe aliam anni partem, qua Christus est natus, allumandam esse suadent circumstantiae in enarratione euangelica obviae, quarum prima haec est. Videlicet de pastoribus dicitur, quod sua pecora alta no-

B Et

argumento libellis ac disputationibus augeri posset. Verum, collatis inter se omnium conjecturis, tritum istud usurpari posset, fecisis probe, incertior sum multo, quam dum.

l) Conf. IOH. GOTTL. HEINECCII disp. de genii. nativit. Christi era §. IV. Locum secundum obtinet in EIVSD. Opusc. var. Syl.

i) ANT. AGI Crit. Baron. ad an. 67. n. 23. p. 58.

k) Plutibus id edocuit THOM. ITTIGIVS in diff. de ritu festum nativit. Christi d. XXV. dec. celebrandi, eiusq. antiquit. ad finem Diff. de Haereſ. acui apostol. p. 386. sq.

l) Has protulit, eorumque falsitatem ostendit SAM. V. TILL. I.c. P. I. C. II. §. 4. sq.

X
Et sub dio custodierint, et stabulum, in quod pariendi caussa se receperat Maria, describitur pecoribus vacuum, atque ita partui accommodatum, vt infans bestiis non obiciendus in praesepi reponi potuerit. Quae omnia hyemale tempus non spirant, quod, vt homines sub te-
cta se recipiant, et aduersus aeris iniurias receptacula quaerant, aequa iuber ac vult, vt rustici peculium non concredat serenitati brumae fallaci, sed vt potius pecora e campis reducant in caulas, iisque includant. Altera circumstantia, quae me allicit, vt credam, natuitatem Christi non cecidisse in solstitium brumale, est descriptio illa tunc vigens. Si enim mecum reputo, quod quilibet ex edito Augusti teneretur, in civitatem, e qua erat oriundus, proficisci, ibique profiteri nomina; si expendo terrae rationem perpetuis fere montibus vallibusque constram, et, vt hyemis tempore fieri solet, continuis pluviis, aut nive cadente, inuiam redditam; si tandem his addo brumae rigorem, multaque aeris incommoda cuius aerati aut sexui haud facile preferenda: crediderim, nominum professiōnem, natuitate Christi factam in), a gente libera, populoque romano amica, non nisi ea temporis periodo fuisse exactam, quando nec incertitudo aeris, nec viarum ineptitudo itinera in hunc finem suscipienda redderent molesta. Etiam si vero haec ipsa momenta non adiuuent, sed potius aduersentur consuetudini romanae, qua introductum est, vt natuitas Christi **XXV** die decembris celebrareretur: saepius mirari coepi, qui fieri potuerit, vt omnibus fere gentibus, quae Christum proficiuntur, ille dies mox placuerit, voluerintque et harum antisitites, vt is memoriae nati Seruatoris quotannis sacer esset.

§. IV.

in) v. GOTTL. WERNSDORFI disp. de censu. quem caef. Octau. Aug. tempore natuit Christi per orbem terrarum fecit. Witenb 1693. et b. CONR. NAHIMACHERI Com. de Augusto et censum agente Helm. MDCCLVII.

§. IV.

Circa idem tempus, quo memorata consuetudo in-
valuit, gentiles christiani saturnalibus multos impende-
bant dies, et vanitatum theatra XXIV die decembribus clau-
debant, quum die subinsequuta Christiani eiusdem vrbis
memoriam nati domini celebrare inceperint, ut sic gen-
tiles ineptis saturnalibus infatuatos ad nobiliora spectacu-
la inuitarent pia mente recolenda. Haereseos notam vi-
ros doctrinae maxime effugisse, quum videam, qui ad-
firmarunt, prauam miseramque hominum superstitionem
e saturnalibus non paucas adoptasse ceremonias, easdem-
que ad ferias ob Christi natalem celebrandas accommo-
dasse n): vitio mihi verti nequit, si, quam RUD. HO-
SPIANVS o), POL. VERGILIVS p), CASP. CALVOE-
RIVS q), IOH. HILDEBRANDVS r), IOH. GOTTL.
HEINECCIVS s), ERN. FR. WERNSDORFFIVS t), breui-
ter atigerunt, sententiam pluribus persequar ac contendam,
natales munerum nostrorum deregri posse his ipsis saturnali-
bus.

B 2

bus.

- n) Primus omnium IOH. HARDVINUS in suo antirrhetico p.
65. docuit, celebritatem natalis Seruatoris natam esse ab eth-
nicis. Ornarunt deinde hanc sententiam I. G. GRAEVIVS in not.
ad Laetant. de M.P. p.185., G.E.CHR. HAMBERGER in Enarrat.
rituum, quos rom. ecclesia a maioribus suis gentil. in sua sacra
transtulit. Sect. de Feste N. I. C. p. 29., et qui omnium primus
adduci debuisset S.V. ERN.FRID.WERNSDORFIVS in exascia-
ta et bonae frugis plenissima com. de Originib. Solemnitatum natalis
Christi ex Festiuit. natalis invicti, Wittenb. An. MDCCCLVII.
edita. Quibus iungas CHR. WILDVOGELII Chronologop.
leg. Exerc. VI. Cap. IV. §. XIII.

o) De Fes. Cap. 2.

p) De Inu. Rer. Lib. V. Cap. 2.

q) In Rit. Euang. P. II. Sect. II. Cap. XVI. §. 3. p. 278.

r) In Lib. de Dieb. Fest. p. 23.

s) l. c. p. 100.

bus. Ita enim scimus, gentiles, quum animi illorum mitescere coepissent, inuenisse Saturni expandi rationem a caede alienam, eosdemque coepisse accendere huic deo cereos, quos alter alteri missitare consueuerat ^{v)}; non fecus ac apud nos templa nonnulla, in quibus vigiliae ob natuitatem Christi institui mos est, accensis cereis, usque non raro donatis, illuminari solent. Pulchre haec profecto ad rem nostram! Viderus insuper, ante festum hocce natalitium institutus mercatus, quibus venum expoununtur crepundiae et sigillaria, sive parua signa et simula-
cra ex aere aut fictili materia conflata; cui mercatu illud simillimum est, quod olim Romae in percelebri illo vico, qui sigillarium audiebat ^{v)}, vasa praeципua, signaque artis exquisitae ex aere aut fictili materia fabrefacta, imagunculae, simulacra ac aliae res venales venum exponebantur, quum parentes, liceat verbis MACROBII vti ^{w)}, reptanti adhuc infantiae, o'f'illis fictilibus, lusum praeberent. Per dies saturnalios, alterum alteri munuscula, sive apophoreta, mittere, mos erat ^{x)}; simili ratione apud nos sub tempus natuitatis Christi vltro citroque munera, vt loquuntur, sancti Christi pueruli nomine distribui solent. Dona, quae saturnalium tempore dabantur coniuuiis domum ferenda, fuisse,

^{t)} In eit. progr. p. 36.

^{u)} Euolus AVR. TH. MACROBII *Saturn* L. I. C. VII et XI.
Adde GOTTH. BOERNERI *comm. de Saturnal.* Cap. III.

^{v)} Vid. IAC. GVIACII *Obseruat.* L. XI. C. XXX., ALEX. AB ALEXANDRO *Genial. Dierum* L. III. Cap. VI., CONST. LANDIL *Civil. exerceit.* in EV. OTTONIS *Thef. Tur.* T. III. p. 1422. ed. nou., BARN. BRISONII *Lib. de Verb. Sign. sub voce sigillaria.*, I. G. HEINECCII *Synt. Antiq.* L. II. Tit. VII. § V.

^{w)} *Saturn.* L. I. Cap. XI.

^{x)} Euolus SVETONIVM *in vita Auguft.* CLXXV. et *Vefpas.* XIX. Haec explicarunt LIPS. *Sat.* I. 16. et TVRNEBVS *Adm.* IX. 23.

fuisse, scimus y), modo vestem, modo nummos omnis
notae, etiam veteres, regios, peregrinos, interdum ni-
hil praeter cilicia, thecam calamariam, dentiscalpium,
tabulas lusorias, candelam, cereos, nuces, et, ut alia
taceam, placentam et panes mellitos in varias figuræ
formatos. Si munusciorum propter diem natalem Christi
dari solitorum qualitatem intuemur: fatendum est, haec
eiusdem qualitatis cum donis saturnaliis esse, saltim ea,
quæ liberi domesticique accipiunt, consistere utpluri-
mum in rebus parui pretii. Per integrum istud temporis
spatium, quo dici potuit,

Saturnalitas mittimus ecce nuces,

pueris feriae a literatoribus concedebantur, at praeter-
lapso hoc festo z)

Iam tristis nucibus puer religidis

Clamoſo reuocatur a magistro;

non secus ac apud nos puer, munuscis ob diem natalem
Christi acceptis aut comedisi, aut attritis, fumosam adire
cogitur scholam. An ergo, hisce subductis, ambigeres,
originem munusciorum nostrorum repetere ab apopho-
retis, quæ Roma pagana saturnalibus distribuere sole-
bat? Ego certe eo minus id adfirmare dubito, quo diu-
tius conuenientiam, quæ inter virumque genus munu-
scolorum deprehenditur, intueor, et quo certius est,
christianos nec aliis solemnitatibus gentilibus, assumto li-
cet habitu christiano, misse nuntium, ut sic fideles a
pagana lasciuia ad laetitiam dignam christianis duce-
rentur.

B 3

§ V.

y) Legisse hic neminem poenitebit MARTIALIS Librum XII.
Epigr., qui totus huc pertinet.

z) MARTIAL. L. V. Ep. XCV. PLINII Ep. IV. 9.

§. V.

Non heri demum, aut nudius tertius quaestio agitari coepit, an haecce consuetudo inueterata dandi *municipula ob natalem Christi* tolerari queat in re publica bene ordinata, nec ne? Evidem scio, multos in eo esse, ut conuincant, fallere eos, qui, distributionem *nostrorum munuscularum* e re publica proscribi non debere, contendunt; quum e contra sint et alii, qui secus sentiunt, nec improbant nostra *municipula*. Quid igitur existimabimus? Ego quidem rem diu considerans nullam aliam viam discordiam hanc inter viros doctos componendi reperio, quam si contendamus, tollendum omnino esse abusum, qui haud raro indiuiduus comes esse solet *municipularum*, de quibus fermo. Dubio autem procul quiuis, et vel me non movente, hic referet, quod quidam iuentuti incautae persuadere audeant, *dona*, quae liberis circa tempus diei natalis Seruatoris nostri tribuantur, proficiisci ab ipso Christo, eandemque haec *municipula* per Nicolaum Rupertum, angelum Gabrialem, apóstolos, quos haud raro personati homines referunt, mittere pie orantibus, quum e contra immorigeri iusto citius munusculis suis denuo priuati a terribili Ruperto in saccum detrudantur. Quo certius est, hisce persuasionibus anilibus crassas ac impias de Deo ideas cereae pusionum indoli imprimi a): eo rectius magistratus suas agere res existimandum est, si in eos grauiter animaduertant, qui impietatem ac superstitionem hisce ad fallendos pueros puellasque tendentibus narratunculis promouere auferint. At si detestandi hi abusus fuerint sublati: nil vitii in distribuendis hisce munusculis inesse

a) Per multos, qui docuerunt, quantum *damnii* ex hisce larnis per quam in eptis emergat, recenset ERN. IOACH. WESTPHALIVS in Com. de *Confutud. ex sacco et libro*, p. 217. sq.

esse video, adeoque non improbo morem, si parentes liberis, necessariis, domesticis talia *dona* tribuant. Quid? quod, quum homo ad sublime semper erectus, ac Deo immortali prope simillimus ira comparare debeat sese, ut, cum in caeteris, tum maxime in liberalitate et beneficentia Deum ipsum, a quo ortus est, imitetur: sane nihil laudabilius excogitari potest, ac beneficentiam exercere, ac egenos subleuare nostris opibus ea praeprimis temporis periodo, qua memoriam summi, natuitate Christi, in nos collati beneficii recolimus. Quare, meo quidem iudicio, non solum laudem merentur, qui in tabulis ultimae voluntatis prospiciunt pauperibus, iubentque, ut gaudii excitandi ergo ex certis redditibus designatis mox panis similagineus, mox piscesculi fuliginosi, aliaeue res comparentur, ac in vigiliis natalis Christi inter egenos distribuantur, sed etiam eo magis est prouidendum, ut a voluntate testatoris in dandis talibus donis haud recedatur, quo magis alias verendum est, ut ne alii, dum vi dentes aegre ferunt, non obseruari, quod concius ipsorum mortuus post mortem suam fieri voluit, deterreantur condendi supremas tabulas in fauorem pauperum.

§ VI.

At adesse iam video, qui desiderant, ut paucis expediem, quid iustum sit circa *dona*, quae verbi diuini ministris, aliisque personis circa obeunda munia sacra occupatis,

- b) At secens dicendum, si legati anni reditus tenderent ad compensationes, de quibus singulare exemplum exhibuit **V. A. L. FERD. L. B. de GUDENVS** in *Cod. diplom. T. III p. 20 n. 16.* Etenim tale si adsit annum legatum, crediderim cum **IOH. WILH. TATINGERO**, cuius eruditioiem ut laudibus extollam, intercedet admissitatis nostrae vinclum, mutari omnino posse tale legatum, **v. viri docti diff. de piarum causarum mutatione** hoc anno *Tubingae* habitam.

patis, dari solent propter diem natalem nostri Servatoris. E-
quidem toties, quoties intueor stipendia ministrorum ec-
clesiae, vehementer doleo, quod, quibus nitorem reli-
gioni restitutum debemus, proceres imperii germanici
nimis parum reliquerint sustentando ordini clericorum,
voluerintque portius, ut oblationibus modo vincent con-
tent. Etiam si vero animus mihi non sit, penicillo
quodam adumbrare mala, quae e prouentibus tam mod-
icis et vel in ipsis christianorum coetus proueniunt c):
id interim annotasse, e re mea erit, videlicet ius mini-
strorum ecclesiac exigendi donaria ob diem natalem Christi
inniti et moribus, quos vetus consuetudo approbavit,
et ipsis legibus. Ne id temere adduxisse videar, adscri-
bam dispositionem legis ecclesiasticae pomeranicae stylo,
quo eam exhibet FRANCIS STYPMANNVS d), Item
de Proven, up Winachten an Gelde, Würste, Schincken,
Brod, na gemönlichen Kaspelrecht, de Witteldach unde Pa-
schen dem Küßern, davon verbret be dem Pfarrbvern inhalt
des Visitations-Registers. Crediderim igitur, quod, si e-
iusce generis dona non nisi a libera hominum voluntate de-
pendent, victoriā non reportaret iste sacerdos, qui a-
ctione quadam a personis talia munera dare nolentibus
extorquere studeret. At secus dicendum, et refractarii
eadem prorsus actione, qua salaria danda recusantes, cogi-
poterunt ad eroganda huic generis munuscula, si minim-
rum aut adfuerit lex prouincialis, quae veluti dicta pome-
ranica iubet, ut parochiani ministris verbī diuini quoran-
nis in illo die solemni, qui Christo lucis auspicia protu-
lit, exsoluant oblationes consistentes in nummis, farci-
mini-

c) Delineata ea inuenies in CH. THOMASII diff. de Officio Princ.
Euang. circa augenda salaria et hon. ministror. Eccl. §. 33.
seq.

d) In tr. de Salar. Clericor. Cap. II. n. 139.

minibus, petasone, pane, aut si modo vigeat consuetudo, qua eiusce generis dona adprobatam determinationem habent. Opus enim tunc modo est extraordinaria cognitione iudicis, qui subuenit nobile ipsius officium implorantibus e). Vtrum vero talia dona ministris verbi diuini ob diem natalem Christi dari solita oneribus rem adficientibus, an vero personas tangentibus accenseri debat? et num proin aedium conductores ad illa exsoluenda iure suo sint adstricti? an vero a locatoribus ac aedium dominis eadem repetere, et locario promisso detrahere queant? disquisitum nouimus. Quum dubio caret, oblationes ministris ecclesiae dandas quandoque ex agrorum ingeribus, ex villis, ex casis exsolui f): non errare videatur is, qui contendet, et nostra munuscula pro oneribus fundorum esse reputanda, si quando pro singulis agris annuatim essent soluenda. At talis consuetudo si deficiat: munuscula, de quibus sermo, modo personalia erunt, adeoque, quiuis, meo quidem iudicio, ad ea danda tenebitur, etiam si non esset dominus aedium.

§. VII.

Has ipsas vero oblationes iam excipient munuscula, quae circa tempus dici natalis Seruatoris coniuges sibi inuicem dare solent. Si ea ex frustulis legum romanarum, quas nostra manu versamus, metiri velimus; eiusce generis donaria non valerent. Etenim,

C

-- ne

e) Vid. praeter STYPMANNVM l. c. Cap. XIII. n. 74. AHASV. FRITSCHII Comm. de Iure Accident. Cap. VIII. Inferta est viri b. OPVS. Tom. II. P. III. p. 467.

f) Conf. STYPMANNVM l. c. Cap. V. n. 178., WILDVOGELIUM l.c. Cap. III. §. 21., IOH. SCHILTERI Inst. Iur. Can. L. II. Tit. 8. §. II., IOH. CHRIST. FALCKNERI disp. de Salariis praecipue Pastorum §. XXVI.

*ne sit venalis gratia lecti,
Deteriorque bonis meliorem pellat auitis,*

nomothesia romana voluit, ut non modo donationes inter coniuges ipso iure vi destituerentur, sed ut etiam isti actus nullius momenti essent, qui donationis ergo age-rentur inter virum ac vxorem g). At huius iuris rigor genti theodisceae eo minus placuit, quo inhumanius reputari queat, quum ita liberalitatem, arctiorem amicitiae comitem, iis interdici videmus, quos individuum vitae consortium coniungit vinculo amicitiae integerrimae, ac inter quos laudabilis, si vniquam alias, ac necessaria quandoque est liberalitas. Quare in leges non impingunt coniuges, si, ferentibus ita moribus peruetustis, nec improbatione dignis, vtantur solemni ac peculiari affectum coniugalem testandi occasione, quam sicut alii dies festi, ita et anniversaria natalis Christi offert, ac tali tempore, *dandis munusculis*, in vxores exerceant liberalitatem h). Verum quid tum est statendum, si quando maritus pecuniis exhaustus versuram facere, et foro cedere cogitur? num *huiusc generis dona accepta ad massam*, ut dicitur, concursus erunt restituenda? an vero inconcussa stabunt, ac ea separata a concursu accipiet vxor? Si ambitiosa, aut suae libidini indulgens matrona mox astu, mox

g) Pluribus id, ut alios omittam, docuerunt **SCIP. GENTILIS** in *Libr. IV. de don inter Virum et Vxorem*, **IUST. HEN. BOEHMERVS** in diff. *de fbaru don. inter vir. et vxor. ant. et hodierno.* Inuenitur, in iplius *Exercit ad pand. T. III. p. 717.* **ZACH. RICHTER** in diff. *Lipf. cl. 50 ecclix.* *habita de donat. inter virum et vxor. confirmandis*, et perill. **GEO. HENR. AYRER** in diff. *hoc an. habita de donat. inter virum et vxorem. Sect. I.*

h) Vid. **BENED. CARPOZOVII** *Iurispr. Forens.* P. II. C. XIII. D. XXII.

blanditiis immodicis, aut, vbi haec non prosunt, acerbiori modo circa tempus natalis Christi a marito extorquet superpellectilem omnis generis pretiosam, gemmas ad ornandos capillos euntes in contortum et non in naturalem situm, aurum, argentum, vinguenta, aliasue res ad mundum ornatumue muliebrem pertinentes, et luxus ac ostentationis ergo ultra ipsius conditionem comparatas: is a vero tramite non errare videtur, qui statuet, eiusce generis dona, si extant, vindicari, et ad bona mariti excusfionis obnoxia referri, si autem consumpta fuerint, illatis vxoris imputari posse i). At vbi circa diem natalem Servatoris nostri non nisi vestimenta, linteamenta, aut varii generis vresilia, quotidiano vsui vel ipsius uxoris, vel familiae inseruentia, vt fieri solet, donata fuerint uxori nihil certius est, quam ea munuscula esse necessarias res. Quare de his dubio procul humanius statuerit, non modo quod quaevis donatio honoris ergo facta inter coniuges subsistat k), ac eiusce generis donaria, quae ex necessitate a marito comparata et uxori donata fuerint, non tam donata, quam necessitate officii data merito dicantur, sed quod etiam his non exhaustae sint mariti res, non conflatum aes alienum, non fecuta in foro cesso. Sicuti igitur haec donationes necessariae non inutiles erunt; ita etiam uxori et illa munuscula, quae alias quispiam die natali

Serua-

C. 2

i) Euolus FR. CAR. CONRADI diff. sub praesidio IOH. GOTTL. BAVERI Lipsi 1600. cc. xxv. habitam de Donat. inter Coniug. Saxonicos. moto concursu creditor. inualidis, §. X. et SPECHTII diff. cit. §. 13.

k) Videas praeter WILDVOGELIVM I. c. C. IV. §. XVI. PETR. MULLERI diff. de don. iuptial. C. V. §. 3.

Seruatoris, ob operas ab ipsius marito praefitas, ipsi ob-
tulerit, post mortem mariti cedent I).

§. VIII.

Neminem esse, opinor, qui nesciret, masculum coeli-
batus pertaesum solere non amplecti modo, sed et haud
rarenter munuscula maximè pretii mittere isti foeminae,
quam optat, aut quacum conuenit, ut tanquam futura thori
focia, magistra domus, nocturnus diurnusque comes, ipsius
domum mox ornet, ipsum ad omnia iuuet, adstet consiliis,
laetis applaudit, tristibus consoletur, excipiat hospites,
curet, ut mensa, ut lectus aduersa, ut omnia sint in paratu.
Quæstio igitur incidit, vtrum valeant eiusce generis mu-
nuscula ob diem natalem *Seruatoris nosiri* data despontatae
gentis matri futurae, etiam si ista consistenter in supple-
mentili omnis generis, auro, argento, gemmis, vnionibus,
annulis, alius rebus ad ornatum sponsae pertinen-
tibus? Quum indubitate iuris sit, omnis generis xeniola a
desponsatis sibi inuicem missa licita esse m): nullum est
dubium, quin munuscula circa tempus natale Christi, intuitu
matrimonii subinsequuntur, donata maneant sponsae,
si istud modo ea solemnitate, quam ad matrimonii per-
fectionem desideramus, fuerit consummatum, et foemina
bisce donis ornata in talamos ierit nuptiales. Ad si hanc
lar-

I) L. 27. D. de don. inter vir. et vxor. Adde sc. GENTILEM
I. c. L. IV. Cap I., et ill. AYRERVM I. c. Sect. I. §. 3. Hu-
i in modi donationes inter sponsum et sponsam veteribus IC-
tis, quibus donationes ante nuptias alio sensu erant incogni-
tae §. 3. Inst. de donat., donationes in sponsalibus factae L.
32. §. pen. D. de don. int. vir. et vxor., et ante nuptias L. 5.
pr. L. 22. D. eod. dicebantur.

m) L. 15. C. de don. ante nupt. Iungas I. H. NOEHMERI diff.,
quæ in ipsis exercitationum T. IV. p. 412. legitimi, de dñs.
sponsal. et matrim. iure Cap. I. §. 20.

largitatem sponsalitiam hacce alba die declaratam non sequuntur nuptiae, vnuisque alterue desponsatorum temere fecerit diffidium: is sane data bacce *munifcula* amittet, acceptaque referet. Tantum caeteroquin abest, ut *euise generis dona* hunc modo sortiantur effectum, ut potius statuendum sit, ea gignere prae sumptionem initorum sponsaliorum, modo et alia adsint indicia haud contemnenda n).

§. IX.

At et illa *munifcula*, quae ob diem natalem Seruatoris nostri patrinis dare consueimus, abs me exposcere vindentur, ut et ipsis hac in prolusione locum demus. Quandoque ysu eueniire solet, ut talia *munifcula*, non secus ac pecunia lustrica, sint maximi pretii. In quam ergo peculiorum classem ea referres? Eodem, quo pecunia lustrica, iure ea, meo quidem iudico, erunt metienda. Quare, quum viros ad iuuandam iuris prudentiam natos, puta cax. ADOLPH. L. B. de BRAVN O), AVG. a LEYSER p), SAM. de COCEII q), BEN. CARPZOVIVM r), GEORG. ENGELBRECHTIVM s), FRID. HEVSINGEVVM t) pecuniae lustricae dominium filio, patri vero ysumfructum adscripsisse videam u), retulerim *munifcula*

C 3

no-

- n) Vid. WILDVOGELIVM I. c. §. XVII.
- o) In diff. de *Vjufr. parent. in bon. liber.* C. II. §. IV.
- p) Spec. CLXVI. Med. 1.
- q) In *Iure controu.* L. XV. T. 1. Qu. XIII.
- r) I. c. P. II. c. 24. d. 18.
- s) In *Comp. Iurispr.* L. XV. Tit. I. §. 4.
- t) Vid. ipsius Comm. de *iure pecul. aduentitii extraord.* C. II. §. XII.
- u) Scio equidem, alios secus sentire. Ita enim pecuniam lustricam refert ad peculum quasi castrense GEO. RADOVIVS in diff.

nostra ad peculium aduentitium ordinarium. Ut ita sentiam, me id in primis mouet, quod *munuscula*, de quibus loquimur, suscepentes ea mente patrini offerre soleant, ut iis memoriam ipsorum susceptorum renouent aequa ac conseruent. Accedit et hoc, quod leges w) velint, ut id, quod filius familias non ex eius, cuius in potestate est, substantia, sed ex aliis causis, in primis ex liberalitate fortunae, acquirit, peculio aduentitio ordinario adscribatur, patrique in eo tantum viuis fructus relinquatur, ni is, a quo res profectae sint, aliam conditionem adiecerit. Num vero dubitari poterit, infantulum ex beneficio fortunae acquirere *talia munuscula*, de quibus sermo? An ergo, hisce probe subductis, contendere anceps haesitares, eadem illa pertinere ad ipsum infantem, patri vero eorum usum, quem leges ipsi tribuunt, haud esse inuidendum?

§. X.

Non una, sed plures, quandoque innumerae, causae patrem familias mouere possunt, ut in vigiliis dicti *natalis nostri Scrutoris* erga eos liberalitatem exerceat, cuius opera facultates augeri videntur. Evidem obligatio eum, cuius ministerio indigemus, alba hacten die *manusculis* subueniendi spectat modo ad iura humanitatis, ac nullus proin ad illa danda cogi poterit ne durioribus quidem adhibitis remediis. At secus rem se habere, putarem, si quando pater familias, interueniente pacto quodam adiecto, non solum famulis promiserit, semet ipsis eiusdem gene-

*de pec. lustr. C. IV. §. VI. sq., ad castrense IAC. BRUNNEI
MANNVS ad L. I. D. de Collat. n. 23., ad profectitum SAM.
GROENWEGEN de leg. abrog. L. XIX. §. I. ad peculium ad-
ventitium irregulare SAM. STRYCKIVS in not. ad BRUNNE-
MANNI Ius Eccles. L. II. C. I. Memb. II. §. XIII,
w) L. VI. pr. C. de bon., quae liberis.*

generis *munuscula* oblatum esse, sed et si is non neglexerit, eorum quantitatem definire. Etenim quum analogiae iuris conueniat, quod *dona*, quae domesticus propter diem natalem *Servatoris nostri* sibi dari stipulatus est, tanquam accessorium mercedis debitae debeant haberi; eo minus dubitari potest, domesticis ius esse, ut actionem locati conducedi instituant aduersus dominum *talia dona* promissa dare recusantem, quo certius est, vnum quemque dicta actione vti posse ad consequendum id, quod ex partis contractui locationis operarum adiectis nobis competit x). Haec mecum reputans incido in quaestionem, quid tum dici debeat, si quando famulus, sine heri venia, et absque causa probabili ante anni in contractu locationis operarum definiti decursum discesserit, aut debita seruitia denegauerit. Num talia *munuscula* accepta retinere poterit seruus fugitiuus? Inter omnes constat, famulum huncce inobedientem suis moribus indecoris se prorsus indignum reddere mercede, qua tota carere cogitur y). Quare paterfamilias rebus suis bene consulit, si a tali seruo fugitiuo *munusculum*, quod propter diem natalem *Servatoris nostri* dedit ante elapsum tempus in contractu locationis definitum, repetit z). Etenim eiusce generis *munusculum* est accessorium seu augmentum mercedis debitae, quae tota, hinc et eiusdem pars, seruo auferitur ob voluntariam fugam, cui se commisit. Et quem quaelo fugit, seruum hac sua, ante finitum tempus, fuga instituta deliquisse, eumque proin nullum lucrum capere debere, id quod tamen accideret,

fi

x) *pr. Inst. de Loc. Cond.* L. 24. C. eod.

y) Vid. SAM. STRYCKII *Vsi. Moderni. Tit. de Seru. Corrupt.* § 7, LVD. MENCKENII *Syst. Pand.* L. XI. T. VI. §. 4., 10. THEOD. SCHEFFERI *diff. de Iure Familar.* §. 27.

z) Euolius SPECHTII *diff. cit.* §. 26.

si is non compelleretur ad munusculi, de quō iam sermo, restitucionem, quod is forte fortuna ante finem temporis definiti accepit. At si paterfamilias iniquus domesticos et vel leuissima de caussa expellat domo, aut hi nimia heri saecutia cogantur, vt fuga sibi consulant: talis maleferiatus paterfamilias compelli iure poterit ut ad exfoluendam famulo integrum mercedem a), ita etiam ad dandum eius generis munusulum promissum. Ni iusto durior esse velis, opus est, vt adsimiles, idem etiam obtinere, si dominus famuli prius moriatur, quam tempus locationis finiretur, nec heredis conditio ferat, famulom in servitio retinere, nec hic inueniat, cui operas locare posset. Nam adfictio non est addenda calamitas. Quid? quod per ipsum non stetit, quo minus operas promissas non adimpleuisset b).

§ XI.

Sed manum de tabula. Ludant crepundiis circa hoc tempus acceptis, quorum mala nondum vernarunt lanugine. Sibi habeant, quae partim ad fallendos pueros puellasque adhibentur, partim ipsos adultos, vel imprudentes constrictos tenent. Infausta et nefanda alii de fortunis, nuptiis, ineunda vitae ratione, aut mortis genere experiantur oracula. Deuota mente nos recens natum sequamur et videamus Christum, vt eum adoremus, nostrisque donis, id est, animo illi sacro, debito cultu, casta religione veneremur. Venite, theologiae cultores, venite his festis diebus, et omnis doctrinae felix atque beatum systema intuemini, praesulem intuemini vestrum tenet.

a) L. 38. D. loc. cond. L. 13. pr. D. de ann. legat. Iungas velim 10.
PAVL. KRESSII Spec. Iuri/pr. Priu. L. III. Tit. 15. §. 39. c)
GEORG. BEYERI Delin. pand. L. XIX. Tit. 2. §. 44.

b) L. 19. §. pen. D. locat.

renellum, et eundum, profitemini, iam in terris haberit.
 Diuini et humani iuris studiosi accedite, et hunc dicitis
 infantem Deum, summum legislatorem atque tremen-
 dum iudicem esse, cui reddenda posthac omnium actionum ratio.
 Artis salutaris, quotquot superestis, studiosi
 medicum hic salute vestrum, vita et valetudinis virtus
 usque salutate auctorem, qui et corporis et animae tristibus
 et desperatis medetur morbis, ac salutem omnibus
 reparare didicit. Adeste, qui artem eloquendi discitis,
 et infantem dicetis vos docere, quanta sit in silentio elo-
 quentia, et quod longe plura vobis exhibeantur, quam quae
 centum linguis eloquentissimi quique eloqui et satis praedi-
 dicare nequeant. Adeste, qui in historiarum studium incumbitis,
 et fortissimum heroem admiramini, ad cuius
 potentissimum regnum atque nominis augustissimi stabili-
 lendum decus omnes omnium populorum res gestae
 conspirant. Adeste felices diuinae mentis aemuli, poe-
 tiae, iucundos pascite spiritus, et incomparabili ecclasi de
 uno infante maximo millena fingite proximis diebus car-
 minum genera, et laetos quasi de praemio cum coelitibus
 certatim capessite triumphos. Adeste cum mathematicis
 philosophiae cultores, et humanam tot miraculis diceris
 non sufficere rationem, obstupescite nascentem Deum,
 obstupescite, finitum capax esse infiniti, obstupescite,
 immensum inueniri in angulo, maximum in minimo com-
 prehendi. Adeste omnes, quibus aeternatura salus et
 omnis felicitas curae cordique est, et nunc dicite, com-
 militones optimi, summi Numinis plena esse omnia,
 postquam orbis ille stator, quem nec coelorum coeli
 comprehendere poterant, virginis inclusus vtero nasci-
 tur infans, atque misellus, ipsis quoque cunis destitutus,
 in praesepi deponitur. Humi et ante pedes vestros in
 stabulo positum inuenietis cum coelo ipso infantem De-


D

um,

um, ignotum orbi, nouo suis indicatum fidere, comitatum mentibus aethereis, ut, gloria hoc vniuersum implente, summo gaudio excitarent homines, suoque regi, exercituum domino, hymnos occentarent. Laetidies Christi natales agite festos, bona dicite verba, vobis inuicem eo maiori laetitia vestram gratulamini fortem, quo certiores esse possitis, verum omnino esse, quod diuus PAVLVS dixit c), Θεός γε τοῦ Ιδευ θνῶν ἐν Ἀφέσεω, ἀλλ᾽ ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτὸν, πῶς ἐνχι καὶ σὺν αὐτῷ τὰ πάντα ἡμῖν χερσεται, i. e., Deus non percepit proprio filio, sed pro nobis tradidit illum, quare non et cum illo omnia nobis donaret.

P. P. In Acad. Iul. Carolina, in Vigiliis Natiuitatis
D. N. Iesu Christi, An. Ccccclxxviii.

c) Epist. ad Rom. Cap. VIII. v. 32.




ULB Halle
005 350 883

3



WIP



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-846046-p0030-9

DFG

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

White

3/Color

Red


Magenta

Cyan

Yellow

Green

Blue



1768, 2^a

16

3, 149, 126.

126

Ab. Phil. Frickii
DIS QVISITIO

D E

M V N E R I B V S

OB DIEM NATALEM SERVATORIS
DARI SOLITIS

IPSIS SOLEMNIBVS
CHRISTO NATO SACRIS

ANN° CICCI LXVIII

P. P

HELMSTADI

EX TYPOGRAPHEQ ACADEMICO VIDVAE
SCHNORRIAE